

Anno 1886, die Sabbati, 16 Januarii, eximus Beatae Mariæ Virginis de perpetuo Succursu cultor, **R. P. Michael Marchi**, a clementissimâ Matre in cælum deductus est. Natus Romæ, die 29 Septembris anno 1829, juvenis Augustinianorum ecclesias in Urbe frequentans, cum fratre laico, Augustino Orsetti, consuetudinem junxit. Ab eo historiam prodigiosæ Imaginis de perpetuo Succursu edoctus, quum die 25 Martii 1857 in Congregatione SS. Redemptoris vota emisset, et die 2 Octobris 1859 sacerdotio initiatus esset, suo tempore Revmum P. Nicolaum Mauron certiorem facere potuit, ubinam pretiosus ille thesaurus lateret. Tandem (ut fusius narratur in libro: *B. V. M. de perpetuo Succursu*) « die 19 Januarii anni 1886..., adhibito socio, P. Priorem S. Mariæ in Posterula adivit, atque ab eo exoptatam accepit effigiem ». — Itaque a divinâ Providentiâ in Villam Casertam missus, ut suâ operâ ad prodigiosæ iconis cultum resuscitandum conferret, nihil etiam intentatum reliquit, ut eumdem cultum alacrius in dies foveret magisque dilataret. Porro quum habilitas deesset, quâ vel in sacro suggestu vel in pœnitentiae tribunali labore fructuose impenderet, totis viribus ad sacras Ecclesiæ

cæremonias addiscendas incubuit, earumque adeo peritus evasit, ut præfecti ecclesiæ et cæremoniarum magistri officium in domo generalitiâ honorifice sustinuerit, ac jure merito psalmistæ verba crebro usurparit: *Domine, dilexi decorem domûs tuæ.* Præcipuo etiam in Rosarium B. M. V. amore ferebatur; quapropter quotidie in cubiculo, idque genu nixus, illud recitabat, licet singulis vesperis unâ cum populo idem publice faceret.